Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36641
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

et itaque duces intelligunt principium exercent. quod ipsis etiam principibus principatum siue ducatum prebent superioris. Hec ergo omnia ab his que secundum nos sunt per similitudinem sumpta. atque illis celestibus spiritibus adeo que ipsis inuisibilia sunt significanda attributa. sic a nobis accipienda sunt ut hec ita in ipsis esse non estimemus sed per hec alia que in ipsis nobis inuisibilia sunt uisibiliter proposita perpendere studeamus. Non enim species corruptibilis ad illorum mundiciam attingit. et propterea quidam minus etiam munda estimatione que sine discretione tam humilia et indigna illi excellentie nature per proprietatem attribuit. Siue ergo hec siue quecumque alia ex eloquiis id est scripturis nobis sacre et formabiliter hoc est sacra siue sacre rei formatione. uel figuratione tradita sunt in uarietate manifestatiuorum simbolorum. id est figurarum et descriptionum sacrarum quibus manifestantur secreta et abscondita. omnia sic accipiamus ut secundum similitudinem et significationem etiam illis de quibus facta sunt. omnia uera esse credamus. et tamen nichil horum in illis per proprietatem esse credamus. Sequitur. Et enim ualde artificialiter theologia poeticis sacris formationibus non infiguratis intellectibus usa est nostrum ut dictum est animum reuelans. et ipsi propria et connaturali reductione prouidens. et ad ipsum reformans anagogicas sanctas scripturas. Ad hoc respondet quod supra dixerat considerandum esse qualibus formationibus sacra scriptura celestes ordines figuraret. Ac si diceret. Propterea ipse formationes celestium ordinum in sacro eloquio diligenter inspiciende sunt. quoniam idcirco facte sunt ut nostrum animum ad inuisibilium cognitionem per hec uisibilia et nota reuelarent. id est illuminarent. Et enim ualde artificialiter uel prudenter siue considerate usa est theologia. id est diuina scriptura. poeticis sacris formationibus. id est descriptionibus formarum uel figurarum. ad sacra uel sancta representanda propositarum. formationibus poeticis. id est excogitatis uel adinuentis ratione. et compositis per similitudinem mystice editionis. in non figuratis intellectibus. id est spiritibus sine figura corporali uel forma in sua simplicitate consistentibus significandis. nostrum ut dictum est uidelicet in superiori capitulo dictum est animum reuelans ablato ignorantie uelamine. ut nuda et apta facie celestia con